

**Disputatio solennis medica de cancro ... / placido ac publico eruditorum
examine submittit Martinus Schumacher.**

Contributors

Schumacher, Martin.
Stahl, Georg Ernst, 1660-1734.
Universität Halle-Wittenberg.

Publication/Creation

Halae Magdeburgicae : Literis Christiani Henckel, 1715.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/cacwz582>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISPUTATIO SOLENNIS MEDICA
DE

CANCRO.

Quam

FAVENTE DEO OPTIMO MAXIMO,
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DN. FRIDERICO WILHELMO,
MARCHIONE BRANDENB. ELECTORATUS
HEREDE AC RELIQUA,

In Illustri Fridericiana,
GRATIOSO FACULTATIS MEDICÆ CONSENSU,
SUB PRÆSIDIO

VIRI Nobilissimi, Excellentissimi atque Experientissimi,

DN. GEORGII ERNESTI STAHLII,
MED. DOCT. ET PROF. PUBL. ORDINAR.

DN. PATRONI, PRÆCEPTORIS AC PROMOTORIS SUI, OMNI
pietatis cultu ætatem prosequendi,

PRO LICENTIA,

Summos in MEDICINA Honores, Insignia & Privilegia
DOCTORALIA, rite ac legitime capeffendi,

Die Jul. MDCXCIX. Horis ante- & pomeridianis,

IN AUDITORIO MAJORI,
Placido ac Publico Eruditorum examini
submittit

MARTINUS SCHUMACHER,

Lenzenf. March.

Recusa HALÆ MAGDEBURGICÆ,
Literis CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typogr. 1715.

CANON

THE CANON OF THE
REFORMATION OF THE
LAW OF THE
REFORMATION OF THE
LAW OF THE

REFORMATION OF THE
LAW OF THE
REFORMATION OF THE
LAW OF THE
REFORMATION OF THE

REFORMATION OF THE
LAW OF THE
REFORMATION OF THE
LAW OF THE
REFORMATION OF THE

REFORMATION OF THE
LAW OF THE
REFORMATION OF THE
LAW OF THE
REFORMATION OF THE

REFORMATION OF THE
LAW OF THE
REFORMATION OF THE
LAW OF THE
REFORMATION OF THE



I. N. 7.

DISPUTATIO SOLENNIS MEDICA

De

CANCRO.

PROOEMIUM.



Otatu dignissima pla-

ne est Hippocratis sententia, quam lib. de arte mox in initio proponit, ubi hæc habet verba: Mihi quidem videtur illud demum, veri intellectu cupidum, & effectus ejusdem compotem, virum designa-

re, si vel aliquid, quod nondum inventum sit, ἐξευρίσκει, eruat, & velut ex occulto reperiat, detegat atque inveniat, & tale quidem, quod præstet inventum esse, quam non esse inventum: similiterque imperfecta ad finem deducat. Quibus certe verbis non modo utilitatem inventionum, sed & præcipue utilium, commendans, non expectat quicquam tale, nisi ab homine, cui & voluntas atque studium, & facultas atque habilitas hujusmodi, revera suppetat. Ita certe est, quod medicinæ studium, si quodcunque aliud in hodiernum usque diem, longe minus quam decet excultum, egeat inventioni-

bus, aut ad minimum imperfectiorum inventorum ad finem debitum perductione, nempe quæ sunt verba nostri, τῶν ἡμῶν εἰς τέλος ἐξεργασία. Quod in antecessoribus nostris laudem haud exiguam meretur, est historia morborum satis accurata atque verax consignatio: Explicatio vero partim incommoda generaliore philosophia impeditis, partim magis circa materiam, quam motum occupatis, non similiter successit, sed incommoda haud levia, imo difficultates velut insuperabiles ipsis objecit. His rebus remedium adhibere, non certe nullus est labor; Utique postquam tot seculis vix quicquam hic profecit industria, ubi magis circa ediscendam præcessorum nostrorum sententiam, quam rectius perpendendam rerum habitudinem occupatum studium medicum, multa utique imperfecta retinuit, quæ ad finem bonum perducere, uti non nihil operosus, ita certe etiam utilis ejus est labor.

Inter alia hujus census tam in medica, quam chirurgica Pathologia, relicta imperfecta, merito recensemus etiam *CANCNUM*, de quo proinde aliqua in medium afferre, & quæ in ejus consideratione imperfecta adhuc relicta sunt, ad finem perducere, ut in se operæ pretium fuerit, ita pro materia *Inauguralis Speciminis* eligere hanc tractationem, non inconveniens futurum judicavimus.

Veneramur supplices *Divinum Numen*, velit nobis uberrima sua benedictione ita subvenire, ut cœptum nostrum ad felicem finem, & aliquod studii medici commodum, perducere valeamus.

Appellatio & Historia Cancri.

Affectus, quem describere suscepimus, *Cancris* nomine à latinis, a Græcis etiam καρκίνος & καρκίνωμα dicitur; præprimis a figura, quam jam prævalidus, & ad æκμὴν suam progressus, adumbrat. Ibi enim exulcerata quidam ejus portio, & communiter ad rotunditatem accedens cavitas, in ambitu sui procurrentia sangvifera vasa, ita crasso sanguine turgida ostendit, ut inde veluti *cancris veri* (non *astaci* caudati) speciem representare videatur. Et hæc certè appellationis ejus longè, ut præsentior, ita etiam verior, apparet ratio, præ alterâ illâ a *Foresto*, nescio quibus opinantibus assignata (*observ. chirurg. lib. 4. obs. 5.*) quod, quos semel apprehenderit hoc malum, tenaciter, sicuti *cancris* solent, teneat atque premat.

Est vero *Cancer* apostema ulcerosum, cum forti corruptione, putredinoso salsa, magis magisque putido fœtore squalens, & corruptionem exedentem, colliquantem, corrodentem, præ sese ferens. Unde etiam Veteres, ob malitiam quidem, *venenosum* appellarunt; speciem vero *veneni* duplicem ipsi tribuerunt, nempe *corrosivum*, & *putridum*. conf. *Heurn. ad Hippocrat. lib. 6. Aph. 38.*

Historia totius affectus est sequens. Oritur, vel sponte vel ex aliquali externa violentiâ, circa partem aliquam suapte natura quasi ex sanguinem (cujusmodi sunt glandulosa, tendinosa, cutanea) collectio scirrhus, sed tamen livida, vel ex rubro nigricans: Subsistit ita interdum per tempus haud exiguum; rarius quidem sine omni dolori: tantò minus sine sensu: Siquidem hunc communissime sic satis exquisitum gerit, si paulo immodestius tangatur, si vel maxime citra attactum, dolorem nullum exferat.

Quamdiu in hoc statu manet, ab actuali ulceratione adhuc alienus, dicitur *Cancer Occultus*. Quando verò, à quacunque causa, incitatus, vires sumpsit, ut ad actualem jam jam

ulcerationem perruperit, *Ulceratus* appellatur. Exserit vero uterque, imo propemodum *occultus* magis, quam *ulceratus Cancer*, *frequentes*, modo *ardentes*, modo gravissime *pungentes* atque *lancinantes*, *dolores*; Neque verò illos æque adeo *continuos*, sed quasi per *paroxysmos*, multiplicibus & novis insultibus patientem excruciantes.

Quando ita adhuc *occultus* est Cancer, potest sæpe numero ad aliquot, neque illos quidem paucos annos, ita subsistere, sine ulteriore aliqua, exceptâ molestissimi illius *doloris*, interdum exardescens, noxa. *Exulceratus* etiam fert non rarò sic satis longam moram, priusquam in actualement *late serpente*m, vicinarum quoque partium *erosionem* progrediatur.

Oritur verò, & *frequentissime* omnium, & *pernitiosissime*, cumque difficillimè omnium sanabili malitia, in *mammis* *fœminarum*; inde in *facie*, *labiis*, *naso* atque *genis*: in *membro virili*, licet rarius *exquisitissime* talis: in *utero muliebri*. *Excrescentia* quoque *fungosa*, *glandularum* æque, ac *membranacearum* corporis partium, diutius toleratæ, & tandem in *stasin* *infarctorum humorum*, hæc vero in *corruptionem*, exeuntes, vix unquam alium, quam hujus generis, induunt genium. Cujusmodi, ut hinc inde apud autores videre licet, ita est ejus quoque specimen in *observatione* illa, tota notabili atque eximia, *Cent. 1. num. 1. Fabr. Hildan.*

Non placet, longum catalogum texere observationum & historiarum, quæ multarum ejusmodi partium *cancros*, hinc inde oblatos recensent, quandoquidem talium abunde est in *Waltheri Sylva*, & *Moroni lexico*, quorum potius librorum commodissimum usum proinde commendamus.

Hæc quoad circumstantias *Cancris* *generaliores*; *Specialiores* in eo consistunt, quod, quando *cancer*, *mammam* v. g. occupavit, & jam ad *ulcerationem* pervenit, in *ambitu* ulceris non modo ingens *durities*, & veluti *nodosa scirrhusitas* *glandularum* partium, mature subsequatur; sed etiam *labia* atque *oræ* ulceris, *turgide*, *inflata*, ac velut *occallescentes*, evadant: modò *livido* colore, & illud quidem communissimè, modò *roseo* veluti, *rutilante*, conspicuæ: Quod ultimum quidem, communiter concur-

currit cum ejusmodi *laxitate* viciniae contiguæ; ut sub levi *scalptione*, vel simili fortiore attactu, mox *cuticula* abradi possit, & substantia etiam ipsius cutis substratæ, velut *miliaris*, sed *melioris* tamen texturæ appareat, *humiditatem* multam, ac veluti perpetuam, *fundat*, imo mox visibilia *foraminula* exhibeat, è quibus *ichor* talis, velut ex profundo, scaturit. *Materia* ex ulcere manans, tetri *coloris* atque *odoris* existit; præsertim quando paulo *crassioris* consistentiæ apparet: quando vero *tenuior* atque *liquidior* emanat, flavescent aut subcruenta apparet, estque communiter admodum *corrosiva*, adeo, ut tum lintea imposita non ita longo tempore, quasi *Aqua Fortis* corrodat, & velut friabilia reddat: Tum ipsam *cutim*, etiam in parte adhuc sana, si per ipsam decurrat, & aliquandiu immoretur, caustica sua violentia veluti adurat atque stringat.

Fætor, quem exhalat hæc corruptela, æmulatur valde manifestum *acorem*, ita ut *carnem in muria salina* aut in *aceto*, *computrescentem*, referat. Fit tamen hoc nusquam ita eminenter, ut in *mammis*.

Habet etiam fere *fermentalem* indolem hæc corruptio; adeo, ut extirpata etiam parte plurimum laborante, sæpè solius alicujus venulæ, coagulo hoc adhuc turgidæ, neglectio, quasi pro radice inserviat, e qua denuo corruptio pristina largo proventu pullulet, & partes vicinas corripiat & corrumpat.

Pergit ita hoc malum, donec partem affectam universam corruerit, unde quidem in *mammarum cancro* sæpe fit, ut non modo ad costas usque, sed usque in ipsam cavitatem thoracis, per intercostales musculos, erosio pergat ac perrumpat. Quicquid tamen sit, *serpit* hæc corruptio frequentissime sic satis langvide, ita ut v. g. *mamma* sæpe ad *aliquot annos* absque graviter præcipiti & veloce erosione diffusionem ita langvidissime demum procedat. Interdum tamen contra, exiguo tempore, tanta invalescit colliquatio, & in tabum diffusio, ut paucio tempore plurimum abscedat atque consumatur.

Evenit nonnullis malo hoc obsessis, ut non modo integra *mamma* sed etiam *collum* & *brachium*, imo reliqua vicinia ejus
la-

lateris, sub brachio, *inflatione* velut *oedematosa* una corripitur, aut *nodosis scirrhis* obsideri incipiat. Omnibus verò, quibus *durities* illa, & *inflatio*, latius occupat *mammam*, contingit una *glandularum* sub ejus lateris axilla sensibilis pariter *inflatio*, *induratio*, imo dolor.

Notandum vero eximie est de hoc ipso dolore, quod non ita jugiter *continuus*, vehementissimus affligat patientem, sed per *insultus* quasi corripiat; Alium quidem per *breuiiores*, alium vero per *longiores paroxysmos*, angens: Ita ut sæpe per *plures dies*, imo *septimanas*, indefinenter, aut certe non, nisi per levissimam *mitigationem*, patientem excruciet.

Illud, quod nos notatu fere dignissimum arbitramur, est hoc, quod patientes tales haud sane rarò, non tam adeo *sensibili dolore* torqueantur, quem ullo verbo recte exprimere atque explanare valerent, sed magis gravissimo *animi angore* percussi, imò nonnunquam ipsa *mente vacillare*, observentur.

Vigilia quoque, jam ex *inquietudine* tali innominata ac velut irrationali; jam è *doloris*, *ardoris*, *lancinationis* sensu, graviter affligunt hos patientes: Quemadmodum etiam *insomnia*, *metus* ac *terroris* plena, denuo somnum ipsis turbulentum reddunt.

Quo magis etiam *doloris* ille sensus invalescit atque urget, eo manifestiore *febricula* corripuntur; Si quoque diu dolor vehementior continuet, exardescit communiter tanto quoque manifestior, imo vero etiam vehementior, talis febris, ita, ut communissime *hecticam*, gradu caloris longe post se relinquat: Quo magis vero *assidui* & nihil *interrupti* pergunt hi dolores, eo constantius viget ipsa quoque febris, *hectico* quidem magis, *mitiore æstu*, sed cum corporis successiva *extenuatione* de *contabescencia*, *major* etiam, quam sæpe in *hectica* lentiore solet.

Sub hoc corporis cruciatu, animique angore, ut ad minimum tacita velut *inquietudine*, *sollicitudine*, atque *cura*, vel ad ultimum *tacito*, & nihil æque cum ipsa ratione commune habente *fastidio* langvent & reliquæ vitales actiones, adeo, ut *appetitus* ut plurimum valde exiguus, rarius vero inordinate *ausus* occurrit, nisi ubi cum reliquis etiam *sensibili* quadam *mentis titubatione* concurrat. Sed communiter quidem a paulo *copi-*

mentorū assumptione, pejus habent, graviterque afficiuntur.

Differentia Cancrī, vulgo quidem non æque constituitur; interim si verum æstimamus, tanta utique est, ut nullo modo mereatur negligi atque insuper haberi. Ille qui muliebres *mammās* obsidet, eminenter hoc nomine notari consuevit. Adeo quidem, ut longe minus frequentes sint *aliarum partium cancri*, qui nomen hoc vere mereantur. præ *mammarū cancro*, & *glandularum axillarum* cum *mammis* facile conspirantium cujusmodi mentio sit apud Panarol. Pentecost. 4. obs. 33. Post hunc, *cancrose* ulcerationes in p. n. *fungosis* excrescentiis, non ita raro eveniunt. *Pessimus* omnium est ille, qui *mammās*, occupat, præprimis ob affluxum chylosæ crudioris atque ad acorem concipiendum aptioris portionis, quæ in aliis partibus nusquam, neque ita *pura & nuda*, neque ita *copiosa*, colligi & concurrere solet.

Neque vero *Homonymia* quòque *Cancrī* ita late extendenda est, in ipsa medica acceptione, ut quodvis *ulcus fœtum*, & *putredini* appropinquans, *cancris* accenseamus; unde suo quidem loco relinquimus illam appellationem, qua *ossum cariei cancri* nomen tribuitur, quale quid in Aët. N. Curios. Ann. I. Dec. I. obs. V. p. 18. fieri videtur, ubi de *cancro dentis* proponitur observatio. Cœterum *gingivæ*, & ipsi *genæ*, illatam successivam corruptionem, manifestius utique & rectius, pro *cancro* interpretari, fas erat. Neque vero cum *Celfo* *Erysipelas*, *Gangrenam* *Sphacelum* *Cancro* accensemus.

Ulcera quoque *mali moris*, *antiqua*, *cavernosa*, *fistulosa*, cum *ossum carie* & *abscessione*, conjuncta, imo non raro à tali *ossum* corruptela pronata; nec non *venerea*, sordida atque fœta *ulcera*: non magis decet pro *cancro*, strictiore atque veriore sensu accepto, interpretari, quantumcunque etiam, *generaliter*, ad indolem ejus accedere appareant: unde etiam vulgo chirurgorum *Krebs-Schaden*/ quasi dicas *καρκινώδης cancriformia*, *cancrose indolis*, appellantur.

Super est illud notatu. dignum, quod quo major irrita-

tio facta, & tum *affluxus*, tum *corruptio* ipsa aucta fuerit; si tunc *corrosio*, quidem inhibeatur, *putrefactio*, foetor atque *colliquatio* tanto magis insole scat. Si vero *corruptioni* occurratur, *corrosio*, *ardoris*, atque *vellicationis* acerrimæ sensus, tanto magis increbescat. Abscedunt etiam interdum *frustula* integra, licet non adeo frequenter : Adhuc rarius fit, ut aliquid *excreseat*, seu super accrescendo luxuriet, in vero cancro ulcerato, nisi ubi aliquando efficaciorum *Mundificantium*, *Sarcoticorum*, atque *Balsamicorum* usu, mundificata aliqua portiuncula, super accretio talis eveniat, quod ex ipsius ulceris *propria* & *immediata* indole, non evenisset.

Acor hujus ulcerationis, præprimis quando valdè affluit, adeo manifeste sese exhibet, ut etiam *ferramenta* promptè *rubigine* inficiat, imo cum inspersis *Absorbentibus* interdum effervesat.

Contagiosum etiam esse *cancrum*, persvadent plures observationes; quod partim quidem ab ipsa fermentescente ejus indole dependet, quam à *seroso lymphatica*, & *chyloso salivali* materia, gerit atque possidet. Non tamen adeo *vehemens* hoc est, nedum præpotens, nisi in loca ad illud recipiendum proportionata, & insuper in jam factam *continui solutionem* incidat.

CAP. II.

Connexio dictorum causalis.

SI *mixtionem* totius corporis humani, cum omnibus ejus *partibus* perpendamus, quam summè proclivis illa sit in actua-
lem *corruptionem putredinosam*, simul vero attendamus quam rara hæc *sincera*, *simplex* atque *libera*, ad effectum perveniat: sub-
bit meritò maxima admiratio, & succurrit mox menti, quod hic maxime sit *immediatus effectus* totius negotii *vitalis*, imo potius ipsa *Vita formaliter* considerata. Neque vero latere nos aut subterfugere potest, qua potissimum *actione conservatio* hæc præstetur atque peragatur, si perpetuas illas *secretiones* at-
que

que *excretiones*, *tenuioris*, *acris*, *fermentescantis* *materie*, quæ partim *precedere* solet hanc corruptionem, partim *sequi*, recte perpendamus. Hoc vero quando facimus, occurrit inde mox *memoria*, quod tota illa *secretio* atque *excretio*, atque tota illam subsequens *conservatio* & a corruptione *preservatio*, non aliunde quam à perpetuo humorum *progressu* pendeat atque perpetretur. Hic si alicubi *intercipitur*, ut humores extra hunc *progressum* alicubi *subsistant*, adeoque *secretio* atque *excretio* ex iisdem. cesset, fiunt statim *expositi*, imo *obnoxii*, dictis actualibus *corruptionibus*, quæ mox partim illam ipsam *substantem* & *stagnantem* *portionem* evertunt, partim etiam, & præcipue si magis pure *sanguineæ* sint *crasseos*, adeoque *veram putredinem* experiantur, *contiguarum* partium corruptionem inferunt ac post sese trahunt. Est nimirum *sanguinis* præcipue *consistentia* ac *mixtio*, ita comparata, ut in *putredinem* fumme præceps sit, neque illam quidem *languidam* atque *tardam*, sed cum in se *velocem* atque *repentinam*, tum valde *fermentativa* efficacia, *vicinie* quoque, imo vero tandem universo corpori, *pernitiosam*, dum *fermentativo* *progressu* corruptionem suam *late* & *prompte* diffundit.

Hæc certe corruptio quando ita nude atque purè prævalet, inducit *sphacelum*, *emortualcm* plane partis, quam occupat, *intimam*, ex ipsa sui *mixtione*, destructionem. Quando vero vel ex *consistentia* sanguinis vappidiore, & minus florida ac *sulphurea*; vel ex ejusdem, sub diuturniore *stasi*, *exhalatis*, tenuioribus *sulphureis* particulis, residua, crassior, & quasi inertior solum portio, in hanc corruptionem facessit, ibi non quidem adeo præceps atque *vehemens* fit corruptio, sed tamen neque ipsa etiam adeo *languida*, vel ab effectu suo *fermentescente* nimium aliena. Seresi vero humores, partim *mucositate* quadam, partim actuali etiam *salsedine* imbuti, si in *stasi* impliciti, ex illa ad corruptionem prolabantur, pronascitur inde vel *salsedo* ejusmodi *acris*, *corrosiva*, *colliquativa*; vel *expirantibus* aut dilabentibus tenerioribus *aquæis* *portionibus*, *indura-*

rio, aut ad minimum *lentor viscosus*, tumorum durorum autor atque fomes, ut sub hoc quidem statu sæpe satis longo tempore, internam suæ mixtionis penitiorē everfionem non experiatur. Cum nempe *humiditas* sufficiens, *primarium instrumentum* sit intestini fermentativi, adeoque & *putredinosi* motus; & quidem *mediocri* sui abundantia, non modo magis *precipitem*, sed etiam magis *subtilem* hujus intestinae agitationis effectum fortiatur: Facile inde concluditur, quod *defectus* ipsius, quo major existit, eo etiam *segniorem*, *languidiorem*, atque *tardiorem* hujusmodi *corruptionem* post sese trahat.

Nascuntur ex hoc fundamento omnes *inflammatoriae*, *suppuratoriae*, *ulcerosae*, *sphacelosae*, imo pro re nata, & circa ossium poros, tubulos ac meatus, etiam *cariosae* corruptiones, quod nunquam fieret, si humoribus per ejusmodi partes liber suus progressus atque *transitus* patuisset. Revera enim humores ad ejusmodi *intimiorē*, *mixtionis* suæ dissolutoriam, corruptionem, nunquam prolabuntur, quamdiu in *progressu* suo manent: nisi contagium quoddam ipsis insinuatū, ceu *directum fermentum*, in culpa sit: Et nisi præterea hujus ipsius energia atque *activitas*, tam præceps atque efficax existat, ut ejus *effectus* neque *ordinariis* neque *extraordinariis*, quantæ tamentolerari possunt, *circum agitationibus* humorum, atque *secretionis* ac *excretionis intensioribus*, præoccupari, aut subjugari queat.

Hoc enim undiquaque irritosecretionis atque excretionis subsidio, prævalet tunc *verus corruptionis* impetus: ita ut ejusmodi *cadavera* (quod *peste* prævalida extinctis valde familiare esse memorant) ne quidem ad *rigorem* emortualē perveniant: sed prævalescente mox, & citissime quidem, paucissimis horis, *putredinis* præsentissima vehementia, *factor* citissime, *remollitio* vero & *diffusio* partium mollium, exiguo post tempore, cum *inflatione* atque turgescētia corporis universi, *spumida* prorsus atque *spongiosa*, brevissimis successibus sese mutuo insequantur.

Notum

Notum vero præterea est, vel e culinari experientia, quod variae, præcipue verò *acidiores: salsedines, progressum corruptionis* admodum inhi-beant, ut vel longe *segnius* atque languidiùs invalescere possit, vel ipsa quoque corruptionis ita fi-entis *species* minus subtilis, *acris & prævalida* inde procedat.

Porro seorsim notum est, de *chylo, è lactis* exemplo, (quod purus atque *sincerus*, ab alienis humoribus maxime repurgatus, est *chylus*) quod hic liquor ad concipiendam *acidam* corruptionem valde proclivis atque habilis existat. *Caseosa* vero ejus portio partim *salsam*, partim *acrem* ac semivolatilem indolem, licet successive demum & satis *tarde*, admittat.

Jam quando stases hujusmodi, *sanguinis*, circa *glandulosa* loca fiunt, quæ ipsa quidem in se, non possunt aliter, quam in *corruptionem* abire: *Corruptio* vero hujusmodi non potest alia quam *putredinosa* existere: nascitur inde quidem *putrido fermentescens* corruptio; Non potest vero ita efficaciter sese diffundere atque serpere, cum *glandularum* tota consistentia ejus sit *textura*, quæ magis, è *gelatinosa, lenta*, ac veluti *glutinosa* materia. contexta, *sulphurea* vero substantiæ immixtione parciissimâ gaudeat, propterea est etiam ad ejusmodi *putredinosam* corruptionem *ineptior*; ad *ulcerosam* vero illam, *mucido salinam*, longe magis pronâ, ad eamque disp. sita. Fit hinc, ut talis stagnantis sanguinis *corruptio*, glandulæ quoque *mixtionem*, ex illa suæ quantulæcunque *sulphurea* partis aptitudine, similiter in *colliquationem* veluti agat atque concitet, sed neque hanc *tantam*, quantam ipse *sanguis* jam tolerat atque subit, neque ita purè *passivam*: quin potius ipsius istius glandulosæ substantiæ, & humoris per ipsam fluere soliti *salsedo, corruptione* hac magis excitata, corruptionem velocem *sanguinea* partis *refrenet* at que *remoretur*.

Fit hoc postremum difficilior, quando stasis illa sanguinis, *copiosa*, & nova adhuc *affluxu* perpetuo sustentata contin- git; quo casu & *inflammationes*, & *prevalide* corruptiones sanguinis affluentis, proportionem *glandulæ* & per ipsam comean- tium *humorum*, ita vincunt & excedunt, ut *reactio* illa, de qua

modo diximus, locum non inveniat; sed potius tam insigni prædominio subjugata, pareat; & purè passivè una abripiatur.

Quando vero, vel ipsa valde parva quantitate, sanguis ita subsistens velut in subdominio est; Contra vero *glandulosum* corpus ipsum *grandius*, & humorum *serosiorum* ad illud *affluxus*, *copiosior* longe, quam *sanguinis*: & præterea, vel dispositionis *falsæ*, vel *actuali falsedine* imbuti hi ipsi humores: tunc contrarium fit, ut nimirum *putredinosa* illa corruptio, a *salsa* superetur. Unde quidem notatu dignissimum esse putamus, quod inter numerosas historias *cancrorum* in *variis corporis partibus* ortorum, vix ulla suppetat, *cancri* in *renibus* inventi; cum tamen & *inflammationes* & *perennes ulcerationes* horum, valdè familiares occurrant.

Evenit hoc tanto magis, quando *collectio* talis atque *stasis* sanguinis, jam pridem facta, *coagulata*, & repressis *fluxilioribus* portionibus, in *scirrhum* nodum condensata, circa talem partem hæret. In tali namque casu, non fiente ulteriore, nedum multo, novi sanguinis affluxu; & absumptis etiam *tenuioribus* portionibus, ex illo qui ita stagnat: non potest deinde facile, vel adeo impetuosam atque *copiosam*, vel adeo *penetrans* & *fermentativa*, corruptio, locum invenire. Imò, si jam inveniat occasionem erumpendi, infecta simul ipsa *glandulosa*, cui in hæsit, parte, deducit quidem & hanc, *ingenere*, ad corruptionem, sed in specie non aliam, quam talem, ad quam partim ipsa privata hujus *mixtio* apta est, partim *affluxus* ille perpetuus *serosolymphatici* humoris, qualis ordinariè per *glandulam* transit, conspirat.

Quemadmodum verò sanguinis quidem *affluxu* ita rario-re existente, purè sanguinea, *putredinosa* corruptio minorem quoque locum habet; nisi denuo quacunque occasione incitatus *affluxus*, novum incrementum capiat: ita contrà, *glandulosarum* partium ea est, sive *tubulosa*, sive *spongiosa* porositas, ut *erosa* semel aliqua portione, liquor per tale corpus transpri-
mi

mi solitus, ut in perpetuo motu constitutus, per ita *dissolutos* five *tubulos*, five *poros*, perenniter effluat: *coalitus* vero, & restauratio, ita erosa & dissoluta glandula, peragi non possit. partim ex ipsius *glandule*, utpote ex sanguis partis, summa ad concrescendum segnitie; patim ob hanc ipsam humoris perpetuo affluentis *copiam*: cum restauratio in *solidum*, *siccitatem* potius mediocrem, vel ad minimum ut ita loqui liceat. *sicciscentiam*, seu facilem deficcationem, supponat: *humectatio* vero nimia, perpetua emollitione nimia, coalitum *solidum*, densum, ac tenacem, frustretur potius, & evertat. Quibus omnibus tanto magis accedit, quod actualis *corruptio* hic concurrens, has allegatas difficultates, veluti toto altero tanto, augeat atque intendat, ut nulla restitutio, tanquam per se quoque difficillima, locum invenire possit.

Sanè vero hæc ipsa corruptio, sufflaminat etiam atque remoratur præcipue ipsam *artificialem* affluxus *cohibitionem*, quamtumvis ad *consolidationem*, summoperè, imo unicè, necessariam. Cum enim hac ratione, dum *affluxum* cohibere laboramus, facile de ipsa jam *corrupta* portione, imo de ipsa illa *corruptela*, seu veluti *fermento* corruptionis ulterioris, aliquid una intra poros partis repellatur; imò, non modo facile, sed velut inevitabiliter ac certissimè, hoc ita fiat: non potest proinde hæc medicatio speratum suum effectum fortiri, quin potius *inclusa* unà, imo quasi altius *adacta* corruptiva materia, actuale suum nocumentum præpotenter exferat. Est itaque vera connexio *cancris causarum*, è dictis, hunc in modum continuanda. Pro quo quidem instituto *mammarum*, tanquam veri ac præcipui, verissimi *cancris*, *subjecti*, exemplum assumemus, ubi hæc omnia evidentissimè ita occurrunt, adeoque commodè & explicari & applicari possunt.

Quando in *mamma* muliebri, five *contusio* aliqua, five *compunctio* aliqua, five *tacita* quasi ac *spontanea* quædam, *varicosa*, *stasis*, five denique à *lactis coagulatione*, *scirrhusa collectio* atque *durities*, & ab hac implicatio talis atque compressio *sanguiferorum vasculorum*, inter has glandulas excurrentium, con-

tigit; neque tamen continuat *affluxus* humorum *copiosior*, ut *largiore stasi* formata, *inflammationi* locus esset: sed potius *coagulationis* velociores successum minus disposita est; Fit ita, ut quidem dicta hæc *stasis*, diu absque ulteriore prævalida irritatione sibi relicta, ita *incorrupta* duret atque perennet: Quando vero aliquando in *corruptionem* ruere incipit, eaque *glandulas* quoque tunicas & tubulos, inter quos hæret, inficit; nascitur inde, ex illa quidem sanguinea corruptione, *putrilago* foetida atque pessime olens, imo corruptiva atque *fermentescens*: Ex hac verò, & præcipue *chyliso serosa* materia, per hæc glandulas commeari solita, *salsa*, imò *acetosa* perversio. Hæc tum vicinum *sanguinem* jam corruptum, quadantenus veluti *figit*, tum proxime contiguum *inspissat* atque *coagulat*: Tum sui ipsius similes partes propinquiores, in *grumos* condensat, ut ita talis species corruptionis emergat, quæ *putredinis*, quidem formam præ se ferat: Interim tamen & *salsedinem* admodum eminentem unà exhibeat, & hujus ipsius interventu, à veloci sui *fermentescente* progressu ac diffusionem, alienior existat.

Neque verò tantoperè mirari necesse est, quamobrem *putrefactio* illa, quæ in hisce casibus omni modo fit atque viget, adeò lentissimi *progressus* esse observetur, ut sæpe per longissimum tempus absque propemodum visibili incremento persistat: cum satis manifestum sit, multum hic concurrere *motus* illos, circa partem affectam, imò intrà eandem, *tonicos*, *constrictorios* atque *condensatorios*; quorum beneficio *copiosi adfluxus* tam sanguinis, & hoc quidem præcipue, quam *laeteo serosa* materia, mirificè cohiberi, aut ad minimum *impediri* seu *imminui*, possit. Unde etiam est, quod hæc personæ non solum in *facie*, *collo*, *Brachiisque* & *scapulis* vicinis (nisi *tumor* actualis una concurrat) aspectum talem plane strictum & contractum præ se ferant; sed etiam in ipsis omnino *mammis*, similem exhibeant, ita ut reliqua quidem portio mammae, densa atque *tensa* tactui occurrat: *plexus* vero *glandulosi* eidem sese offerant, in-

star

star plurimum *nodorum*, stricturis modo dictis veluti distincto-
rum.

Si vero malum exacerbatum *sensum* gravissimè afficiat,
& hoc casu major *affluxus* sanguinis oboriatur, turgescunt
quidem mammæ illo ipso tempore, atque instantur præter
solitam & ordinariam quantitatem, non tamen eo usque, ut
contiguarum partium *strictura*, non satis luculenter sensibus
occurrat. Et tunc maxime temporis erumpit etiam copio-
sior *purulenta*, *saniosa*, *ichorosa*, imò varii, sed ferè *tetri coloris*
atque *odoris*, materia.

Ipsa etiam *intumescencia* atque *infarctus* glandularum
harum partium, reprimit & cohibet ulteriorem, copiosiore
effluxum; Quia *ramificationes*, inter glandulas has alias disse-
minatæ, *tenerrimæ*, facta glandularum intumescencia, compri-
muntur & *opprimuntur*, ut liber ille effluxus sanguinis per il-
las progredi non valeat; Unde quidem *stasis* non admodum
invalascere potest, quando quidem sanguis ita ad *majusculas*
ramificationes repulsu, ex his facile, in ultiores *propagines*,
transitum invenit, ut ita aliquot *exilium* ramulorum impedi-
mentum nullam insignem noxam habeat.

Imò, hic Naturæ *motorius* actus, circa partes ita affectas,
est omni modo insigne illud *instrumentum*, mediante quo *pe-
netratio* materiæ *intimior* intercipitur, & quasi circa solam *su-
persiciem* ita tenetur, ut neque copiosus *affluxus* fieri possit, qui
materiam corruptioni subministret: neque uberior *refluxus*
seu regurgitatio corruptelæ ad *interiora* sequi possit, quæ a-
lias præmature latiore corruptionis diffusionem post sese
traheret. Omni enim modo *abhorret* utique Natura à *pu-
tredinosa* illa corruptione, & reluctatur eidem, quantum mo-
do potest, *actibus suis motoriiis*. Quod quidem hoc loco, ubi
tardior est corruptio, ob *minorem* materiæ *quantitatem*, tanto
facilius succedit: Licet non sine labore utique, unde non
modò *dolores*, & *sensus acerbior*, sed etiam *anxietates*, & ipsius
mentis turbulenta angustia, conjunguntur.

Quando corruptio hæc, interdum *plexum* quendam glan-
du-
C du-

dulosum *in*signiorem attigit, & corrosis minoribus eidem implantatis *vasibus*, ad *majorem* horum ramulum pertigit, sequuntur satis copiosæ & pertinaces *hemorrhagia*. Fit hoc tanto facilius sub *sectione* ejusmodi arrosarum particularum. Ubi quidem *sistere* sanguinem per *Adstringentia* medicamenta, communiter diffuadere potius jubet necessitas, eò, quod tali ratione magnum illud incommodum immineat, quod facile aliquid *corruptela* ad *intimiora* adigatur, quod omni modo cavendum.

Patet itaque ex dictis, & connexâ hætenus causarum serie, quod *Cancer* nihil aliud sit, nisi *ulcus* tale *putidum*; quod quidem a *sanguinea* portione *putrilaginem* contrahit; quia tamen & illa ipsa *paucior* est quantitas, & novus *affluxus* interceptus, præterea liquor *chyloso-serosus*, *salsus*, atque *accens*, putrefactionem *cohibet*: Propterea non potest æque velociter invalescere: Ipsa interim *putrilaginosa* hæc, *sulphurea*, e *sanguine*, consistentia, exacerbat etiam, & *acriorem* reddit *falsedinem* illam alterius istius *materiæ*, ut tanto magis *corrosiva*, atque *sensus irritativa* evadat.

Erosio illa, semel ita facta, præsertim latiore ambitum jam complexa, cum *poroso tubulosam* glandulæ texturam latius erodit, erumpit inde per innumera illa foraminula copiosa humiditas. Fieret vero hoc adhuc uberius; nisi partim *strictura* illa interna, imo & in ambitu, musculosarum partium, vicina, partim ipsa *intumescencia* quarundam glandularum, partim *spissescencia* & coagulatio humoris, corruptionem ejus veluti antecedens, modum hic faceret.

Interim inquinat ipsa hæc *exsudatio*, & *materiæ* coagulascens *spissitudo*, *superficiem* ulceris, ut ibi nulla nova *Concretio*, aut *structura* debita in solidum, locum inveniat.

Sensus vero ipse, prout *materiæ* corruptio modo *acrior* & copiosior fit, modo *minor*, ita priore quidem casu gravius afficitur, posteriore vero mitius. Sed ipsa quoque *Spasticorum* motuum exacerbatio, circa & intrâ hanc partem, inducit sæpe numero majorem *sensus* affectum; ut adeo tunc temporis

ris *dolor lancinans, vibrans, tendens, premens*, una cum *urente* atque *rodente*, tanto magis *sæviant*. *Affluxus* etiam auctior, & inde prognatus *tumor & inflatio* partis solito major, ex eodem fundamento, nempe propter *tensionem* majorem, inducit *sen-*
sus quoque intensiorem: ut tali tempore longe major *ardor*, imo & *lancinatio* atque *compunctio*, sentiatur.

Quando vero jamjam diu inhærens malum, obstruções illas, & hinc pendentes *inflationes* atque *suffarctus* majores, multis & magnis plexibus glandosis intulit; ut inde multi atque magni tales *nodi*, in mammis affectis extuberent: tunc utique, tanto profundius radicum atque impactum malum, tanto difficiliorem admittit tractationem; Uti que postquam tales stases, in actualem *corruptionem* prolapsæ, in *sinus* atque *foveas* dehiscunt; aut, eliquatis paulò mollioribus tunicis, quæ plexus ejusmodi involvunt, & velut inter se distinguunt, *inequales* tales *protuberantias* in ulcere post sese trahunt, *restaurati*onem verò atque coalitus, omnem quasi spem atque viam præcidunt.

Est enim utique illa omnium ulcerationum in *glandulos*is partibus, summa, & communis, *difficultas*, quod tum propter summam sui *porositatem*, & ex hac erumpentem perpetuam humiditatem; tum etiam propter hanc absorptionem subtilis *tunicaceæ* substantiæ, summe *dyssepuloræ* seu difficillimæ consolidationis, existant: Imo, si maxime rursus consolidentur, inæquali, & veluti *nodulis* aspera superficie, deformia maneant. Neque hoc tantum, sed cum etiam varia ulcera, communissime, sola tenera *cuticula* obducantur, fit inde *sæpissime*, ut, ob leves causas, illa per internam talem perpetuam humectationem, aut facillimam in confusis meatibus *stasin*, aut extrinsecus subortum *pruritum*, denuo laceffita aut lacerata, novæ emanationi & *ulcerationi* obnoxia fiant. Unde quidem talium partium ulcera, etiam quam maxime *benigna*, semper fere *rebellia* existunt: Tanto magis vero hoc facit *Cancer*, de quo nobis est sermo, *putrilaginosæ* illa corru-

ptela insuper, præter simplicem erosionem atque ulcerationem, gravissime infectus.

Quemadmodum vero hæc *putrida* corruptio, vera mors, verum *oppositum vitalis* conservationis, & *irreparabilis* damni magistra existit, cui omni modo possibili resistere, res ipsa exigat atque postulet; Ita cum per hætenus dicta in partibus & læsionibus ita constitutis, hoc ipsum effectu difficillimum sit, mirum non est, si ex illa syndrome *necessitatis* & summæ *difficultatis*, *angor*, inter *incertitudinem actus* & *effectus*, concurrat, prout omnino his patientibus immensum quantum familiaris atque communissimus existit. Invalescit vero eo magis, quando sive *stasis* major, sive *affluxus* copiosior, a quacunque tandem causa, obtrigit, adeoque majus periculum prævalituræ corruptionis urget.

Nascuntur hinc summæ *inquietudines*, *vigilia*, *pavores*, *anxietates*, *vagæ debilitationes*, imo *lipothymia*, *spasmi impetuosii*, *tremores*, *motus convulsivi*, *mentis alienationes*, *tristitia*, *taciturnitas*, *mærores* quasi perpetui &c. verbo: omnia talia consuetaria, quæ res in statu summe ancipiti constitutas deceant.

Hæ sunt *veræ Cause Cancri*, quibus tum essentialiter in hærentia, tum essentialiter consequentia ejusdem pathemata, absolvuntur. Unde nostro quidem arbitrio facile innotuerit, quid sentiendum sit de antiquis illis vocabulis, *humoris melancholici*, *venenositatis*, & similibus, cancro attribui solitis. Ita, ut nos quidem in hoc negotio satis manifestam esse ejus constitutionem atque causalitatem autumantes, nihil hic æquæ occultis qualitatibustribuendum esse autumemus.

Maximè omnium vero obsona nobis est illa plebis phantasia, quod *Cancer* in corpore subnatus, *exulceratus*, *vivat*; adeoque *occidendus* & mortificandus sit, vel ad minimum oblati aliis *nutrimentis*, ita *obsaturari* valeat, ut ininus edax in corpus patientis maneat. Quod quidem somnium in se nemini temere credendum, censuimus tamen non plane silentio prætereundum esse, cum quædam medicationes, quæ in se valde suspectæ essent, eidem destinentur, ex hac sola traditione, atque

que opinione, quod cancer tali methodo *necari* possit. Hæc quidem de *Theoria pathologico Practica* Cancri sufficiat: Progredimur ad *Therapiam* ejus adumbrandam.

CAPUT III.

De Therapia Cancri.

P*rognosis*, uti semper haud incommodè *Therapia* præmittitur; ut ita *ingenere*, de *facilitate* aut *difficultate* curationis, memores simus, ita hic quoque in affectu ex se difficiliore, ejus rationem habere, justum utique, imo necessarium fuit.

Dilucescit vero ex illis, quæ hætenus diximus capite præcedente, quod multis nominibus utique & *tractationis* difficilioris, & *eventus* magis *ancipitis*, sit hoc malum; Unde quidem mirum non esse debet, quod Antecessores nostri, à temere suscipienda hujus affectus tractatione, expressis verbis dehortati fuerint. Locus est apud *Hippocrat. 6. Aphor. 38. Quibus occulti cancri sunt, illos non curare, melius est, curati enim cito per-eunt: Non curati vero longius tempus perdurant.*

Monet ad hunc locum utique rectissime *Galenus*, quod *Hippocrates*, expressis verbis de *occulto cancro* loquens, illius tantum dissuadeat curam; non æque vero jam *ulcerati*, solamen omnimodo poscentis. Distinguit insuper inter methodos curationis, & abstinendum esse monet ab *irritativis* remediis, sed magis utendum *Mitigantibus*, *Mollientibus*. Et recte quidem utrobique videtur censuisse.

Certe enim quamdiu cancer *occultus* manat, & ipse quiescit, intempestiva remediorum applicatione eundem vel *irritare*, vel novo *affluxui*, & secuturæ corruptioni, viam sternere, nemo jusserit. Quando vero res, a quocunque errore, eo jam prolapsa est, ut ad actuale *ulcerationem* non modo devolutum sit malum; sed etiam in eadem jam eousque progressum, ut insignem partis *absorptionem* jam tum peregerit: Tunc utique otiosum saltem spectatorem esse, neque patientium preces & obtestationes sinunt, neque suaferit ratio,

quamdiu spes est, ad minimum *mitigari* posse patientium cruciatus.

Interim recte utique intelligitur hoc *Divi Senis* monitum, de non *irritando*, quantumcunque quietiore adhuc cancro. Siquidem certum omnino est, antequam *ulcerosam* corruptionem actu jam subit *scirrhus* talis *dolens*, *lividus*, posse eum quidem plurimum *incommodi* inferre; ita, ut multos *dolores*, *Agrypnias*, *animi perturbationes*, *mærores* &c. post sese trahat: *Periculum* vero tam præsentaneum, aut in pejus semper ruituri affectus metum, nullo modo incutit: Quod directe atque immediatè utique facit *ulceratus* semel, præcipue vero impetuosè & late ita *corruptus*, *cancer*.

Imo, placet nobis potius ita contrariam ad cancri diversos hosce status, eligere regulam, ut quemadmodum non *ulcerato* seu *occulto* cancro, præstet nullum irritamentum objicere: ita erumpenti atque *ulcerato*, contra *medicatione* occurrere præstet, quam nudè sibi relictum destituere.

Tota vero asserti vis occupabitur in medicationis *methodo*, seu medicamenti intentione atque effectu. Conveniet enim utique *ulcerato* cancro *mitigatio*, & eximii non modo *sensus*, sed & *corruptivi* progressus, quantacunque fieri potest, *cohibitio*.

In *occulto* vero adhuc cancro, doloris quidem *mitigatio* in se difficilior est, licet non absolute: cavendum interim valde studiose ab *Emollientibus* & *Maturantibus*, ne sub intentione *Paregorica* atque *Anodyna*, *pinguibus* vel *acriusculis* gummatosis atque resinosis utentes, intempestiva *emollitione*, *affluxui* humorum locum præbeamus: *Maturatione* vero suscepta, illud genus *corruptionis*, cui talis materia propius exposita est, nempe *putredinem*, invitemus.

Postquam itaque *cancrum occultum* tolerantibus prædixerimus, subesse grave *periculum*, ne affectus ipsorum ad *ulcerationem* perveniat; & ab *emollientium* usu dehortati fuerimus: *Universaliorum* tempestivum usum commendatum volumus; nempe frequentiores (ad minimum cum pejus habent) *Laxa-*
tio-

tiones, è *Rhaharbaro*, *Helleb. nigr.* *Epithym.* *Fumar.* *Polypod.* *Vene* quopue *Sectionem*, præcipuè aliàs quoque *consuetam*, bis forte in anno, circa *Æquinoctia*, laudamus. Juxta hæc conveniunt internè *absorbentia*, cum leni *Diaphoresi* interdum interposita. Essentia quoquè *Succini*, in affectibus his, non pœnitendi est effectus. Externè paucissima admittimus; præferimus verò omnibus frequentem usum *Spir. Vini Camphorati*, non tam loco immediatè dolenti, quam *late circa*, imò primo velut eminus, mammæ imponendi.

Ad ipsum verò jam *exculceratum* Cancrum, non jam afferimus multiplicia illa apud Autores abunde prostantia, partim *generaliora*, partim *specialia*, Consilia & auxilia. Legantur illa apud *Waltherum*, è multis partim allegata, partim allata; Notamus tantum ex illis, commendationem *ol. stercor. human.* *Hafenrefferi*: *Aq. sterc. human.* *Weikardi*: *Ol. flor. tritici*, *Prævotii*: *Ol. ovor.* in mortar. plumb. agitatum, *Peccetti*: *Lunaria Botrytis* efficaciam, à *Carrichtero* commendatam: *Onopordi* vim ad *faciei, labiorum, nariumque Carcinomata*, a *Borello* laudatam: *Salis fuliginis*, & *olei ejus*, usum ab *Hartmanno* deprædicatum: Subjicimus verò pauca.

Indicationes, pro cura canceri, esse debent (1.) *Mundificatio* (2.) *corruptionis inhibitio*: (3.) *affluxus noxii* & *incommodi repulsio*: (4.) *consolidatio*. *Mundificatio*, *causticis*, *acribus*, *septicis*, non perficitur commodè: Minimè verò omnium, quo magis *dolet, rubet, tumet* malum. Unde vel ab omnibus talibus abstinendum, vel non usurpanda, nisi quo tempore *quietius* est ulcus; Neque diu continuanda sunt, sed quantocyus *balsamicis* insistendum: Temperanda quoque statim, additis aut subjunctis ejusmodi *lenientibus*. In levioris certè ambitus corruptione, *ol. laterinum* vulgo dictum, aut similia *Empyreumatica*, cum *oleo ovorum* distemperata, non nullius sunt efficaciae, pro hac intentione.

Corruptionis verò inhibitio fieri utique debet, sive per *balsamica generaliora*, sive per *specialiora*. E *generalioribus* abstinendum est à *valde acribus*, unde *olea destillata*, & ex his parata *balsama sulphuris*, & similia, non probam⁹. Incitāt enim & sensum,
&

& *intestinum Sanguinis Motum*, ut *inflammationes* præsentius excandescant. Si tamen *inflammationis* & *putrida corruptionis* vis enervata prius fuerit, habent usum moderatè usurpata. Optima verò est *Myrrha*, sive in *Essentia*, sive in ovo duro per deliquium soluta: Quo sanè unguine præstitit Exc. D.D. Præses, Patronus atque Præceptor omni pietatis cultu prosequendus, in *ulcere pedis œdematosi, capaci, profundo*, & jam exquisitissimè *sensibili*, quod alia multa non efficere potuerunt. Neque verò *Essentie succini* externus usus exiguus est, de quo mox.

Affluxus verò *cohibitio*, per *adstringentia* quidem opposita, nunquam commodè hic præstabitur; Per *discutientia* intenditur quidem, sed non perficitur; Solis internis, *Purgantibus, Diaphoreticis, Diureticis*, frustra tentabitur: Dispiciendum itaque de tali remedio, quod cohibeat quidem *effluxum*, & eo ipso copiosum *affluxum* successivè retineat, sed neque *strictura* nimia, *retropulsionem* materiæ ad intimiora promoveat, neque positiva aliqua qualitate, *corrosioni* fomitem suppeditet, quod faciunt *acida coagulantia*: Sed potius *acrimoniam corrosivam* potius obtundat & mitiget: Quibus omnibus ita impetratis, facilius longè deinde sequetur *consolidatio*.

Sed est sane haud exigua quæstio, *undenam* petendum sit tale remedium? Longissimè nimirum ab *Indicatione*, & *Indicato generali* rò *speciale* abest: Et si maxime graphice dicere possimus, quale medicamentum ex usu futurum sit, impeditiissima creberrimè est ejus *appellatio*, quodnam, & quo nomine notum, conveniat, quod *qualitates* illas ita possideat, quæ desiderantur.

Non recipimus in nos, quod remedium Cancris absolutissimum calleamus, Certò enim vel hoc solum non modo sustentare posset Medicum, sed ditare: At verò tale remedium, quod & *corruptionem* refrænare, & *effluxum* moderari, & *affluxum* discutere, & *acrimoniam* temperare haud inefficaciter valeat, adeò abstrusum, nedum impossibile, esse, non censemus.

Certè, quisquis contemplatur efficaciam *Spiritus ardentis, puri & rectificati*, in cohibenda & enervanda *corruptione*:
pla-

placidissimè *coagulanda* muciditate fluxiliore *Discutiendo* affluxu: & *roborando*, imò leviter provocando, *cono* partis; In *edulcoranda* atq; subjuganda *acrimoniâ* *acido-salsâ*: Si mediante *spiritu* tali, deinde Medicamentum concinnare, & pro conditionibus ac præsente statu affectus, temperare atquè instruere didicerit: habebit, quod frustra in multis aliis quærat. Unde certe *Essentia Myrrha & Succini*, prudenter *proportionat*, *præmissis* & *conjunctis* quæ decet, & cum debita *prosecutione*, usurpata, præstiterunt plus semel, quod vix quisquam sperare ausus esset: Sed cave, ne quid improvidè, neve imperitè. Ab *intempestivo* enim, aut *improportionato* usu, modò *Myrrhata*, modò *succinata* talis *Essentiæ*, ne mireris *Inflammationem*, *Tumorem*, *suppurationem*, quasi *effrenari*. Cum contrà à *provida*, & *proportionatâ* & aliis debitis subsidiis modò *conjuncta*, modò *subjuncta* adhibitione, longè diversos effectus expectare liceat. Antè omnia *Camphoram*, cum formulâ, quam *Spiritus vini* ingreditur, *intrâ* vulnus, aut ulcus quodlibet, tantò magis verò *cancrum*, præcipuè *effeatum*, cave temerè immittas: *Igneus* enim est, quem infert, doloris *sensus*, & plus hoc ipso incommodi afferre potest, quàm materialis fortè commodi. At circa ulcus, & per totum *ambitum*, laudabis ejus efficaciam, modò *diu*, & quasi *perenniter*, & sub præparatione penetrantissimâ, nihil unguinosâ, adhibeatur.

Proderit idem *rectificatissimus ardens Spiritus*, etiam ad *Hæmorrhagias*, Cancro supervenientes, absq; omni *adstrictoria* repulsione, retinendas. Ab *adstringentibus* enim alienissimi hîc sumus. Si tamen Casus, *medullitus* mundificatæ corruptionis *discussit* tumoris, *relaxatæ* duritie, & ad naturalem *teneritudinem* reducti membri, præstò esset, in quo solùm adhuc *manatio* perennis, è *porosis tubulosisque* glandularum meatibus, superesset: Tunc usum *Croci adstringentis* ex *Marte*, præmissis & *conjunctis* quæ decet, svademus: Efficacissimi nempè usus (ut rectè *Paracelsus*, in talibus laude suâ nunquam fraudandus) *desiccatorii*, & sub siccitate *consolidationem* promoventis, sed hoc ipsum *superficiali* (non nimis profundâ) *adstrictione*.

Quid hâc *Methodo*, & his medicamentis præstari possit, non defunt exempla notatu haud indigna; sed quia *Individua- lia, viventium*, non consultum ducimus neque necessarium, illa recensere, allaboret, cui occasio suppetit, hâc media: hâc *methodo*, circumspectè applicare, & inveniet, num frustra aliquid ipsis tribuamus.

Subjicimus verò adhuc tria verba, & quidem (1) de *dolorum mitigatione*: (2) de *violentioribus Cancro* oppositis reinediis, ejusque veluti Tyrannis. (3) de *Chirurgicâ* ejus curâ.

Quod primum attinet, cavere jubemus ab *opiatorum* nimis frequente, & nimium copioso, usu. Nihil sanè boni præstant *Narcotica* in talibus doloribus & corruptionibus, ad quales *Motus intenti, vigiles, anxii, trepidi*, concurrunt. Præstat hic moderatissimis uti, ne *sphacelus*, aut sanè non multum dispar *corruptionis ferocia*, veluti invitetur.

At vero *absorbentia interna*, præcipuè quæ simul quadantenus *Diuretica* existunt, sunt hic satis efficacia, pro *leniendis* doloribus talibus, unde *ocul. cancr. cum vino* sumptos, extollit hic *Crato, Epist. Med. L. 2.* & profunt etiam *Emulsionēs* dilutiores. Ego vero *Præses* ipsius *Nitri* internum prudentem usum, hîc laudabilem esse, scio, præcipuè si cum lenibus *Diureticis, Arcano Duplicato, Tartaro Vitriolato Chrystallino*, misceatur. Caveatur vero *stupefacientium* temerarius abusus, etiam *externe*: Prudens autem non rejicitur à nobis absolutè, sed commendatur summa circumspectio, & attentio. Ita enim haud frivolum est, quod tradit *Paracelsus, Oper. Chirurg. p. m. 618.* nempè lib. von nffenen Schaden, Cap. 60. Lit. B. Alle Löcher die trefflich umb sich freßen, ist ein sonderes Stück, daß mans vor wohl lösche, addantur stupefactiva. Unde commendat ibi *Hyoscyamum*: Cui ego substituere suadeo, quem vocant *Hyoscyamum Peruvianum*, nempè *Tabacum*. Sed non placent tantundem, ea quæ habet Lib. hujus cap. 16. de *cancrena*, p. m. 585. ubi mera *narcotica* commendat, quamvis ibi de affectu loquatur minimè ulcerato, sed adhuc *occluso*.

Violentiora remedia Cancro opposita, appellamus præcipue

pue *Arsenicalia*: *Arsenicum*, *Auripigmentum*, *Realgar*: Non speramus ab his quicquam commodi, & veremur, cum *Hildano*, noxas graviores, citra ullum effectum laudabilem. At vero, si illud Experimentum *Fallopium*, quod habet de *Tumor. part. 1. c. 3. & 5.* eventui securè responderet, neque purâ *corrosione* ageret, esset tolerabilius: Sed non vidimus adhuc effectum, unde tantisper diffidimus.

Tota intentio, *Arsenicum* adhibendi, videtur superstructa esse opinioni illi, quod *Cancer vivat*: Aut fortè, juxta *Pathologiam animatam*, quod ex innumeris *Vermibus vivis* confletur. Sed ut, ad hunc quidem posteriorem conceptum, innumera forent æque efficacia *Vermium Venena*, ut, tam periculosum universo *Corpori* assumere, nulla necessitas suaderet: Ita vanior est illa prior opinio, & tanto minus hoc nomine aliquid temerariis tentaminibus concedendum.

Meminimus traditionis cujusdam, de usu *Solani furiosi interno*, quo *Cancer* ad *spontaneam secessionem* à parte sanâ perducitur, sed nihil de effectu innotuit, cui fidere liceat.

Succurrit quidem memoriæ, quod *Dn. Winter* in *Hippiatro* suo, ubi de affectu *equorum*, quem den *Burm* appellant, tractat, mentionem faciat experimenti, quod mihi quidem *Præfidi*, multoties asseveravit experientiæ respondere; & est hoc. Quod si *equus* morbo hoc revera laboret, si eidem, aliqua notabilis *dosis*, *Radicis Napelli* vulgaris coerulei, pulverisatæ ingeratur, dissolvi inde tumorem illum, & *equum restitui*: sin autem equo affectum hunc non gestanti præbeatur illa *radix*, illum inde interire: verum uti experimentum nunquam vidi, ita in re valde dubia nihil subsidii reperio, pro alio dubio eximendo.

Illud non negligendum, quod in talibus etiam casibus locum habere possit potionum *travmaticarum*, *mundificatoriarum* usus, de quibus haud injuriâ tantum loquitur *Paracelsus*, deridens *Medicos*, quod per *alvum* purgent, cum per ipsum *ulcus* expurgare deberent. Et facit, quod alias non æque prompte solet, mentionem distinctam talium simplicium, quæ hoc præstent, in *Hospital-Büchlein*. Novimus profectò casus hu-

huius generis luculentissimos, *mundificationis*, cum copioso *affluxu*, & paulò post secuta spontanea *consolidatione*, in ulceribus antiquis, ad 18. 19. annos gestatis, per sola talia *internè* exhibita, è *vegetabilibus*: quæ ita expurgarunt ulcus, & Corpus & universum illum *affluxum* hætenus sivetum, ut spontanea *siccatio* succederet, & coalitus tranquillissimus. Et præstaret profectò, talia rectè excoluisse, quam mille vanis, aut inutilibus, *speculationibus* indulgisse.

Chirurgicâ curam quod concernit prolixum nimis fuerit, ex Autorib9 eandem huc transcribere: Suffecerit paucis ea notasse, quæ ad hoc Consilium magis necessaria nobis videntur.

Occultum cancrum quod attinet, si ille altius circa *superficiem* partis hæserit, neque valde diffusus, aut magni ambitus existat: præcipue vero non admodum *profunde* deorsum ad meditullium mammæ sese extendat, nedum ut ibi veluti *basi* quadam expandatur: Habet ibi locum *Exsectio*, dummodo peritus Operator administrationē dextrè perpetrare audeat.

Ulceratæ cancröse mammæ extirpatio, nisi illa enormissimè distensa, & per totum suum latifundium gravissime indurata sit, commodius peragitur, si transfixis *acubus* firmis aut instrumento maximæ *fuscinula* simili per ipsam adaucto, filo cannabino crassiore, aut funiculo *sericeo*, cutis, successivâ stritura ita contrahatur, ut inde discrimen mammæ à musculis *pectoralibus* tanto luculentius velut in censum incurrat. Quo impetrato, succedit tanto felicius ipsa abscissio.

Facta *abscissione*, ad *hæmorrhagiæ* cohibitionem alibi commendantur *styptica* medicamenta, alibi *cauterium* actuale. Præferim9 hoc ultimum nos quoque, modo gravissimus *sensus*, à præsentī statu *virium*, tolerari possit. *Corrigit* enim *ignis*, velut in momento, corruptelam illam, quam *adstringentia* non nisi nude *cohibere* possunt, *corrigere* vero nullo modo valent. In re difficiliorē interim præferimus *spiritus vini* usum, pro hoc eodem *stegnotico* effectu, utpote omnibus indicationibus melius quadrantem.

Quod vulgo monent, permittendam aliquamdiu esse *hæmorrhagiam*, frustaneum arbitramur: Illud enim, quod ita fluit, nullius labis particeps existit; utpote quæ unice in *coagulata* potius materia residet atq; hæret. Ceterum vero neq; ipsa hæc *hæmorrhagia* ordinariè ita immensâ esse potest, utpote magis a solis *mammariis vasis* pendens.

Speramus firmiter, perpensis omnibus, partim hætenus allatis, partim eo conspirantibus, congruis circumstantiis, fore, ut tandem aliquando *dogmatica* aliqua *methodus* obtineri possit, quâ morbo huic tam formidabili efficacius resisti possit: quod quidem à Divina Benignitate supplices precati pro ejus nobis præstita benignitate gratias habemus sempiternas.

chirurgica, palæstra petendæ atque arcessendæ veniant, at quemlibet præsentem certum specialem oculorum affectum. Ubi quidem illud monemus, pure *Medicam*, internam, tractationem, in oculorum læsionibus vix illum locum habere, nisi sub *generalionibus*, *præservativis*, *causarum* remotioni dicatis, methodis: *Medico-chirurgicam* vero, *externam topicam* methodum, plurimis oculum directe atque proprie obfidentibus pathematibus accommodatam esse. *Chirurgicam* vero *instrumentalem*, atque manualet operam, præter applicationem peritiorem atque meliorem, *opticorum* medicamentorum, nonnullis *conformationis*, aut *epigeneseos* vitiis, veluti magis pure, directe, atque unice deberi: adeo, ut præ illa, omnis alia medicatio absolute inanis atque inutilis existat.

Generum medicamentorum ut aliquam etiam mentionem adjiciamus, sint illa 1.) *Resolventia* atque *discutientia* in ruboribus oculorum magis privatis; ubi Radix Iridis Florentinæ, Herba Hyssopi, Chærefolii, Bellidis, Flores Cyani, Calcatrippæ, Calendulæ, verbasci, Rosarum, semen Anisi, Feniculi &c. usum suum habent, varia tamen, & prudenti, atque perita, administratione. *Camphora* sicut omnibus aliis anteit efficacia, ita hic etiam egregie se gerit, dummodo applicatio commodè institui queat. *Vinum* etiam calidum, ut alias sugillationibus conducit, ita habet hic quoque suum usum, exteriorem tamen, clausa palpebra. 2.) *Lenia adstringentia*, ubi Tutia, Pompholyx, Nihilum, Spodium, Mater perlarum, in censum veniunt: revera autem ipsa quoque solutio saccharina Lithargyrii, sive *saccharum Saturni* solutum, his prope modum antecellit, nisi ubi *exsiccandi* intentio necessaria concurrat. Omnium vero horum Coryphæus est *Vitriolum album*; & quidem usum etiam in oculum interno; sicut lapis ille mirabilis Crollii, alumine insuper, & bolaribus ingredientibus imbutus, & hoc ipso revera magis penetrans atque adstringens, externo saltem usu, clausa palpebra, linteolum insolutione ejus imbutum, imponendo. 3.) *Abstergentia*: inter quæ
cum

cum nihil sensum, hic exquisitissimum, feriens, commode locum inveniatur, a multis hoc nomine molestis temperare sibi necesse est, quantumcunque etiam alias efficaciam habere possunt. Non potest hac infamia liberari Vitriolum Cyprium: est tamen interim, convenienti loco atque tempore usurpatum valde efficax. Lenius autem Alcohol elutriatum (abgeschlemmt) croci metallorum, nam nudum infusum, nisi cum menstruis notabiliter sensibilibus, nimis debile est. Saccharum Canariense albisimum, facit modicum, pulveretenus inflatum; longe minus, dissolutum.

Pinguedines, Asciam piscis, serpentis, anseris, (vide medicamenta Rulandina: recentiores, emolitoria sunt: antiquae colliquatoria: ejusmodi etiam est, sed acriter sensibilis, *Chelidon. maj.* succus flavus. *Empyreumaticae* pinguedines, septicæ, unde non frustra *Paracelsus*, oleum laterinum in oculis maximum corrosivum esse asseverat. De specificis prolixis esse non placet, sicut etiam de *Amuletis*, de quibus prolixius, qui vacat & placet, inspicere licet *VIZolfi Scrutiniore Amuletorum*. Fidem sane antiquorum, minime omnium elevamus, interim negare non possumus, nec unde nos in hunc diem rationem perspicere posse, quamobrem *Euphrasie* efficaciam specificam pro oculi affectibus tribuerint, nisi forte magis nostratibus illud tribuendum est, quorum imprimis appellatio *Mugentrost* / hoc in passu nota est.

Valet autem hic imprimis animadversio jam supra a nobis allegata, quod multa temere pro universaliter efficacibus accipiantur, quæ non nisi plane particulariter, etiam modo hoc ipsum veraciter, conducunt: quod quidem de *chelidon. maj.* certissimum est.

Neque vero possumus, quin aliquid adjiciamus de *formulis* medicamentorum, ad *oculorum affectus* adhibendis. Usus hic sane est circumspecto judicio, dum frequentissima præsto sunt exempla, ubi *pulverulente* formulæ, quantumcunque demum *alcoholisatis* seu summe extenuatis materiis, nihil secius *Presso-*

viam quandam irritationem in oculo causantur: Quod quidem tanto familiarius evenit, quando in oculis *submucidus* quidem *mador* versatur, qui *pulverulentam* illam substantiam, inæqualiter imbibat, & sensim, quantumcunque etiam novi succedat mucoris, magis in unum velut angulum compingat, & ad inferendam, hanc oculo molestiam disponat.

Interim tamen cavendum etiam est, ne nimio *fluidorum* formularum usu, oculis haud multo levius præjudicium æque incommodum inferatur; quando quidem revera nimia *remollitio* atque *relaxatio*, non parum damni oculis conciliare valet, si assiduo atque perpetuo usu humidiorum, inducatur. Unde quidem in ejusmodi casibus optimæ efficaciz sunt *adstringentia*, reliquæ formulæ moderate atque proportionate remixta vel interposita: ubi quidem locum habet supra laudati *vitrioli albi*, & *lapidis mirabilis Crollii*, efficacia.

Camphora usum, cum superius, & jure quidem meritoque, commendaverimus; monere hic debemus de ejus efficacia, quod *formulis* quidem externo usui adhibendis, admodum convenienter associetur, in plerisque oculorum vitiis; siquidem & *resolvendi*, & *discutiendi*, & ita aliquatenus *exsiccandi* efficaciam habet: Quoad formulam saltem, si *spiritu vini* dissoluta adhibeatur, (ubi omnium penetrantissime agit) cavendum est, ne aliquid ejus *intra* oculum defluat, ubi *igneum* velut ardorem inducit. Unde commodissime, vel penicillo, iterum mediocriter expresso, *parce* palpebris illini potest; sed hoc ipsum multiplici ductu repeti aut continuari: aut *lintulorum* guttatim aspersio spiritu, tam diu in libero aere relinqui, donec humiditas maximam partem exhalaverit, *Camphora* tenuissime ipsi insinuata remanente. Imo vero, si à *spiritu* dicta ratione illito, *ardor* aliquis etiam in *superficie* palpebræ sentiatur, potest ille non magis *commode* quam *efficaciter*, cito discuti atque depelli, si saltem vola manus, aut strophiole, aura, tanquam ventilabro, ad pauca momenta oculo admoveatur; aut lenis flatus oris ab alio ad stante, adhibeatur: ita enim cito exhalat spiritus vinosus, *Camphoram* nihilominus poris insinuatam relinquens. Sicut etiam reperita tali illinitione, *Camphora* tam copiose ibi colligitur, ut *albidam* prorsus consistentiam repræsentet. Neque tamen si quid hujus spiritus etiam forte fortuna oculo illapsus sit, insigne statim damnum, sed bene gravissima molestia & incommodum, per aliquod momenta, expectari inde debet. Potest vero etiam cum una vel altera *amygdala* excorticata, subacta camphora, cum momento aquæ rosarum, in emulsionem redigi, atque ita etiam *intra* oculum instillari.

Plura hac vice non fert neque tempus neque charta, unde in his acquiescimus, DEO pro præstita sua gratia, humillime gratias atque gloriam concientes.